Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus de decem praeceptis - Cod. Aug. pap. 51

Henricus <de Frimaria>

[Reichenau], [14. Jahrh.]

Nonum praeceptum

urn:nbn:de:bsz:31-87058

Visual Library

lex sed pocius corruptela. In hoc etiam preceptum incidunt qui religiosis et xpi pauperibus detrahunt vel alios ab eorum beneficiis avertunt dicentes ipsos aliorum elemosinis non indigere cum magnas structuras faciunt. Qui non considerant cum quanta penuria et parcitate victus et vestitus hoc faciunt et quam sincero affectu dei honorem querunt et cultum deo famulancium in talibus intendunt. Quarto circa hoc offendunt qui contra libertatem ecclesiasticam aliqua edicta faciunt vel statuunt. Et hoc fit tribus modis quia privilegium libertatis ecclesiastice consistit in tribus. Primum est quod clericus verberari non possit. Unde qui hoc fecerint vel qui fieri mandaverint vel contra facientem pro posse non prohibuerint excommunicatus est ipso iure. Secundum quod clericus ad iudicium civile trahi non possit. Tercium quod clerici exactionibus publicis non sint obligati. Unde si quis statueret quod clerici possent conveniri in iudicio civili vel contra prohiberet directe vel indirecte quod clericus causam in foro ecclesiastico prosequi non posset vel quod deberent dare exactiones vel tenere vigiles pro custodia civitatis talis ipso facto sentenciam canonis incideret. Extra de sen. ex. Gravem. Ex predictis patet qualiter quis de transgressione istius precepti debeat confiteri.

Nonum preceptum lege diligenter

Nonum preceptum est Non concupisces rem proximi tui ubi licet explicite solum prohibeatur concupiscencia oculorum rei aliene implicite tamen hic prohibetur universaliter omnis concupiscencia sive cupiditas male voluntatis respectu rei aliene. Nam supius in septimo precepto prohibuit cupiditatem operis hic autem prohibet cupiditatem cordis. Et est notandum quod hic non prohibetur concupiscencia que innascitur ex corrupcione fomitis vel a delectacione sensualitatis quod impossibile est. Quod iste concupiscencie non sint in nobis propter naturam fomitis corruptam. Sed hic prohibetur concupiscencia et appetitus qui innascitur ex consensu racionis. Et hoc preceptum sic licet simpliciter exponere. Primum est Non concupisces rem proximi tui eam scilicet per avariciam appetendo seu contra per iniusticiam obtinendo. Secundus eundem intellectum sciendum est quod res aliena potest concupisci in triplici sub tribus gradibus. Quidam enim concupiscunt quidem aliena sed scientes quod non possunt obtinere ideo concupita non prosequuntur concupiscenciam. Similiter scientes se posse consequi concupita fortassis tamen conveniunt ad prosequendum concupiscenciam in effectu. Et isti taliter concupiscendo mortaliter peccant. Et hoc in primo gradu concupiscencie mortalis. Secundo quidam sunt qui aliena concupiscunt et cum conatu exteriori laborant pro tali re aliena obtinenda. Qui quamvis eam non obtineant mortaliter tamen peccant. Et iste est secundus gradus concupiscencie qui apparet in fure et latrone pro furto et rapina labo

rentes. Cum licet in effectu nec furentur
nec rapiunt mortaliter tamen peccant et
gravius quam primi. Tercio quidam sunt
qui non solum continuantur concupiscere
aliena sed eciam concupita pravis conati-
bus assequuntur. Et isti omnibus aliis gra-
vissime peccant et est tercius gradus
concupiscencie mortalis ut patet in furibus
et latronibus rem concupitam illicite
obtinentes et istis nunquam remittitur
peccatum nisi prius restituant ablatum
ut dicit Augustinus dum tamen habeant facul-
tatem restituendi. Decimo gradu dum cu-
pere appetere scilicet proximi vel concupiscere manus
in manu non erit innocens quia licet
manus in manum teneatur ut scilicet quis
actualiter non furetur nec rapiat. Si
tamen ab usura et rapina abstineat non
propter deum nec propter iusticiam sed
propter penam quia timet suspendium talis
non erit innocens immo mortaliter pec-
cat per avariciam rem alienam appeten-
do contra divinam iusticiam. Et quantum
malum sit ondit Augustinus in libro de libe-
ro arbitrio sic dicens. Cum avaricia
alicui dominatur subiectus malis omnibus
demonstratur quia de avaricia mala om-
nia oriuntur et omnium peccatorum
species exea producuntur. Et ideo bene
scribitur. Ecce avaro nichil est scele-
stius. Cuius enim assignatur innocen-
cius nisi de vilitate condicionis
humane. Dicit. Avarus offendit deum
offendit proximum offendit se ipsum.
Nam deo detinet debita proximo
denegat necessaria sibi ipsi subtrahit
optima. Nam gulam cruciat ut arch-
am impleat corpus extenuat ut
lucrum extendat. Et ideo avarus con-
vincitur sibi crudelissimus deo ingratus
et proximo impius. Non enim proximum
diligit quem inedia perimit egesta-
te consumit. Secundo expositum est. Non
concupisces rem proximi tui est
scilicet iniuste hoc est ad iniusticiam appeten-
do et in malum finem ordinando.
Aliud est enim appetere aliena per in-
iusticiam quod fit in expositione prima. Aliud
appetere ad iniusticiam puta ad vo-
luptatem ad luxuriam vel ad com-
pulsam sicut dives ille fecit. Luce
cum epulabatur cottidie splendide.
Et istum modum peccandi et gentiles
philosophi tetigerunt ostendentes quod in uno
actu peccati possit esse multiplex de-
formitas sicut cum aliquis furatur
ut exinde mechetur vel pompose ex-
cedat vel crapulose vivat. Et
secundum hunc intellectum non solum contra
istud preceptum faciunt qui aliena con-
cupiscunt sed qui sua propria male et
illicite expendunt ut gulosi et vo-
luptuosi et pomposi et thesaurizatores
et isti pre omnibus ante aliis in hoc
casu magis peccant clerici quorum
bona omnia pauperum sunt et domus
eorum omnibus debent esse communes.
Et plus ceteris debent in visita-
re suscepcionem peregrinorum et hospitum
ut patet xvi q. i. Nam clerici se-
culares non teneantur omnino re-
nunciare temporalibus quantum ad proprietatem

et usum tamen tenetur ea renuncia-
re quantum ad affectum quia non debent
tantum affici circa temporalia sicut
layci. Et hoc designat corona
in capite. Nam capitis rasio est
omnium temporalium deposicio ut scribitur
xxi q. i. Duo sunt. Non autem quare
minus debent affici ad temporalia
quam laici est hec. Quia sollicitudo
temporalis impedit spiritualem. Clerici
autem ideo dicuntur quia sunt in sortem
dei vocati et divino cultui man-
cipati. Et ideo solum debent esse
dediti contemplacioni et orationi et ab omni
strepitu temporalium semoti. Unde
credo salvo meliori iudicio si
clerici vel monachi contra prohibi-
cionem iuris se inmisceant secularibus
negociis scienter et voluntarie
intantum quod notabiliter impediant li-
bertatem spiritus qua soli deo vacare de-
bent quod mortaliter peccant ubi for-
te laici venialiter peccarent quibus
non est interdictum quod secularibus nego-
ciis se non debeant inmiscere.
Tercia expositio est. Non concupi-
sces rem proximi tui ipsam scilicet
avare retinendo vel eam necessi-
tatis tempore non communicando quod
nichil aliud est quam rem
pauperum per violenciam auferre
ut patet xvi q. i. Nam hinc Augustinus
Non solum avarus est qui rapit
aliena sed qui cupide servat sua.
Et ideo avarus ut ibidem dicit Augustinus
dum que lucretur seipsum perdit.
Unde scribitur xii q. i. Non minoris

est criminis habenti tollere quam cum
possis et habundas indigentibus dene-
gare. Esurientium panis est quem tu
detines. Nudorum vestimentum est quod
tu recludis. Miserorum calceus est
qui apud te veterascit. Et in decretis
d. s. Ex predictis patet quod omnis cupidi-
tas cordis aut est in appetendo alie-
num contra iusticiam ut patet in exposicione prima
vel contra administracionem ut patet in secunda
aut est in retinendo nimis cupide
per avariciam quod contingit in ista ex-
posicione tercia. Sed hec potest esse duplex
seu dupliciter vel quia absolute retinet
et occupat alienum et sic est fur
vel raptor ut patet ex superdictis
aut retinet proprium et tunc aut hoc
fit tempore necessitatis quo ex precepto
caritatis talia communicare debet
et sic retencio cupiditatis censetur
homicidium sicut superdictum est in septimo
precepto. Pasce fame morientem et cetera.
Aut sic retinet sua ut ea tempore
oportuno distribuat. Sed hoc contingit
dupliciter. Quia aut raro vel numquam
sic retentum egenis distribuit et sic
adhuc est mortale peccatum ut patet
in divite epulone qui micas panis
lazaro negavit. Aut aliquando distri-
buit aliquando non et sic est peccatum veni-
ale et hoc maius vel minus prout
maior vel minor facultas est in
ipso divite. Sciendum est etiam quod ipsi
avari non solum pedestres vel equestres
ad infernum perveniunt sed ad hoc
vehuntur curru per diversam avariciam

cis puniso Cui quidem currus auaricie
g⁹ Bernardus super Cantica sermone xxxix. Va
hic quatuor rotis viciorum que sunt
pusillanimitas inhumanitas contemptus
dei et mortis obliuio Iumenta vero
ipsum trahentis sunt tenacitas et rapa
citas et hiis ambobus vnus auriga
presidet scilicet ardor habendi Sola
quidem auaricia que non patitur conducere
plures vno auriga contenta est Si
autem queritur qualiter et quomodo quisque se
habere debeat adres possessas hoc pul
chre docet Seneca in suis prouerbiis ita dicens
pecunie oportet imperare non seruire
pecunia si ea vti scias ancilla est si
nescias domina est Et ideo necesse est vt aut
te ipsum aut pecuniam vilem habeas
Et ideo dicit Bernardus super Cantica ser. xx.
Si vere tua sunt que possides expende
adhuc et preueniens celestia commuta
si hoc non vales scias te pecunie non
esse dominum sed seruum Quo contra de bo
nis et virtuosis possessoribus dicit
Gregorius in libro Moralium Sancti viri quia ipsa
rerum affluencia onerosa est quia
hoc grauiter tollerant quod festinando
ad patriam in itinere multa portant
Et ideo aut largiendo distribuunt
aut deserendo contempnunt Sciendum
quod predicta triplex expositio potest colligi ex
decreto d. xlvi. Honorum Ubi dicitur
sic honorum auctori inherere non
possumus nisi cupiditatem que omnium
malorum est radix absciderimus Et
hoc quantum ad primam expositionem propria
vero subdit virum katholicum et
precipue sacerdotem sicut nullo debet

implicari errore sic nulla debet
cupiditate violari dicente scriptura
post concupiscencias tuas non eas Agens
enim pecunie auida nec abstinendo
nomine a veritatis nec gaudere con
cessis nec peccati adhibere con
sensum Quantum tamen ad tercium vero
subdit sed forte cupidus subdit
Quid iniusti facio si tamen aliena non
inuado propria diligencius teneo Sed
o impudens dic quomodo hunc ingres
sus es lucem quomodo de ventre matris
existi quibus queso facultatibus
ingressus es Nonne nudus
intrasti et nudus exibis Tan
tum ergo te scias in vnde bonum
quietis posse presumere quod vales
Unde transgressores huius precepti
signanter puniuntur plaga musca
rum que musce morientes perdunt
suauitatem vnguenti Et sollicitudo
possidendi temporalia non solum im
pedit deuocionem spiritualem sed quasi
in corde hominis suffocat ver
bum dei Omnis enim oracio et omnis
deuocio et quasi consolacio contem
placionis funditus moritur vbi
cumque huius cupiditatis ardor
Ex premissis igitur patet qualiter
de isto precepto sit homini ostendendum

Decimum preceptum in textu

Decimum preceptum est Non con
cupisces vxorem proximi tui
Ubi prohibetur omnis concupiscencia
carnis sicut in precepto nono
prohibetur concupiscencia oculorum Ideo
autem dantur duo precepta de prohi